

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois Iulianu Logoi Deka

Julian <Römisches Reich, Kaiser>

Lipsiae, Anno MDCXCVI.

Petri Martinii praefatio in Iuliani Misopogonem

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1694](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1694)

quoniam exemplar unicum ex Petri Rami bibliotheca nactus  
eram, idque locis aliquot vitiosum; veterem lectionem, ubi  
peccare videbatur, ex nostro sensu mutauimus, sed in margi-  
ne, quemadmodum antea legeretur, admonuimus. Acci-  
pies igitur, Cardinalis amplissime, & hoc editionis munuscu-  
lum, & me eius auctorem, ea humanitate, qua soles omnes  
accipere, in quibus aliqua virtutis ac bonæ voluntatis signifi-  
catio appareat. Multæ sunt atque illustres in omni genere  
laudes tuæ, sed vna in primis, quamdiu erunt litteræ, prædi-  
cabitur atque in cælum feretur: quod Academiam Parisiensem  
tueris, ornas, amplificas: quod tua liberalitate multorum  
studia sustentas: quod denique bonos & doctos singulari stu-  
dio atque amore complecteris. Quod vero Petrum Ramum,  
præceptorem meum, eximie diligis, non dico me unum, sed o-  
mnes qui ubique terrarum sunt, veræ institutionis amantes,  
eius vigiliis excitatos & adiutos, in perpetuum tibi deuincis  
atque allicis ad te amandum omnique officio prosequendum.  
Habeo autem & alia nonnulla, vt in cæteris Hebræam gram-  
maticam Logico artificio a nobis elaboratam, quæ in tuo no-  
mine propediem edetur, si hæc tibi non ingrata accidisse co-  
gnouero. Vale. Lutetiæ, Calend. Maji, M D LXVI.

Eiusdem

## PRÆFATIO

in Iuliani Imperatoris Misopogonem;

vbi de auctoris vita ex variis, præcipue

Marcellini, locis differitur.



IULIANVM Imperatorem singulari ingenio & eloquentia fu-  
isse, monumenta eius declarant: cæterarum etiam virtutum  
principe dignarum laudes ei non mediocres in historia tribu-  
untur; vt, si vera sunt quæ de eo memorantur, non dubitem  
eum parte ista cum summis principibus conferre. Verum lau-  
des istas omnes vna impietatis & ἀποστασίας macula in perpe-  
tuum deleuit atque extinxit. Magnum est hoc exemplum, & in primis confide-  
randum, vt & principes & priuati homines tantæ & tam miseræ ruinæ periculum

extimescant; Deum optimum maximumque sincere colendum sibi putent; veram pietatem vere & serio amplectantur; neque puerilem aliquem ludum iocumque arbitrentur esse; omninoque certissimum Christi oraculum illud secum reputent, πολλοί εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, multi sunt vocati, pauci vero electi. Quare ut tota hæc res facilius perspiciatur, & propositæ orationis argumentum e suis causis explicetur, Iuliani vita primum ex natura & educatione, deinde ex moribus ipsius cognoscenda est.

Ad naturam tum patria & parentes, tum naturalis animi & corporis habitus pertinet. Patria igitur ei fuit Byzantium, vrbs Thraciæ nobilis & copiosa, tunc imperii sedes ac domicilium, quæ Constantinopolis, & noua Roma dicta est. Parentes patria non minus nobiles & clari fuere. Pater quippe fuit Constantius magni illius Constantini frater; mater Basilina nomine, iam inde a maioribus nobilis, ait Marcellinus. Quibus tamen non multum frui potuit. Pater siquidem post fratris Constantini obitum ab imperii successoribus oppressus est: mater vero paucis mensibus post editum in lucem Iulianum excessit e vita. Itaque puer admodum cum fratre Gallo, quem vnicum ex patre habebat, eumque incertæ & pene afflictæ valetudinis, ab omni solatii ac præsidii spe inops relictus est; eademque prorsus, quæ patrem antea, filium vtrumque ruina oppressisset, nisi illum ætas, hunc valetudo periculo liberasset. Atque hæc naturæ semina fuere in patriæ ac parentum splendore. At in animo & corpore varia fuit naturæ affectio. Animus quidem ei fuit leuissimus: Itaque (ait Marcellinus lib. 22.) præfatis proximisque permittebat, ut fidenter impetus suos aliorsum tendentes, atque decebat, monitu opportuno frenarent: monstrabatque subinde se dolere delictis, & gaudere correctione. Corporis vero mediocris habitus sic ab eodem describitur libro vicesimo quinto: *Figura (inquit) talis itaque membrorum: mediocris erat statura, capillis tanquam pexisset mollibus, hirsuta barba in acutum desinente vestitus, venustate oculorum micantium flagrans, qui mentis eius angustias indicabant, supercilii decoris, & naso rectissimo, ore paulo maiore, labro inferiore diviso, opima & incurua ceruice, humeris vastis & latis, ab ipso capite usque ad unguium summitates lineamentorum recta compage, unde viribus valebat & cursu.* Hic per mentis angustias eadem, quæ supra, leuitas notatur: sed firmitas additur corporis, vnde magna bellicæ laudis pars sit postea consecuta. Sed de tota hac re copiosior est & liberior Gregorii Nazianzeni oratio: qui eum Athenis vidit adolescentem, & ex animi corporisque habitu futuros eius moresprehendit. Sic autem loquitur libro secundo contra Iulianum: *Tum (ait) sensi me non malum hominis coniectorem fuisse; quamuis non sim vnus ex iis, qui ingenio ad istas artes bene nati sunt. Sed me diuinandi compotem efficiebat ingenii inconstantia & mirabilis commotio, siquidem vates est optimus qui recte nouit conicere. Nullius quippe boni signum mihi videbatur esse ceruix prona, humeri vibrati & subsilientes, oculus errans & circumductus & furiose intuens, pedes instabiles & claudicantes, irrisor, contumelias spirans & contemptum, vultus conformationes ridiculæ, idem præ se ferentes, risus immoderati & effusi, nutus & renutus sine ratione, sermo hesitans & concisus spiritu, percontationes ineptæ & stultæ, responsiones nihilo istis meliores, in sese incurrentes, non constantes, nec doctrina ordine progredientes. Quid singula persequar? talem ante opera vidi, qualem*

lem in operibus cognoui. Hæc ille. Vnde intelligimus insitam atque ingentam huic homini perpetuam leuitatem & inconstantiam; vt erroris inde consecuti prima iam caussa teneatur. Ergo natura talis fuit.

Quid educatio? quibus magistris, quo studiorum atque artium genere, tractata & exulta est? Post annum septimum ætatis præceptori traditus fuit Mar-donio eunucho, qua de re ipsemet in Misopogone hunc in modum Antiochenses affatur: *Vultis (ait) nomen pedagogi & genus proferam? Homo barbarus, & genere Scythæ is fuit, eodemque nomine atque ille, qui Xerxem ad bellum in Græciam nobileque Argos induxit. Hoc autem nomen, quod ante vicesimum mensem honoris, nunc contumeliæ caussa appellatur, Eunuchus erat, sub meo auo educatus, vt matris meæ Homeri atque Hesiodi poemata exponeret. Quum autem illa paucis post mensibus mortua, me primum & solum filium reliquisset, tum ego tanquam virgo orbata & deserta, multis erepta calamitatibus, puella & tenera, post annum septimum ipse traditus fui.* Ab hoc igitur præceptore ad publicas scholas Constantinopoli deducebatur, ibique puerilem ætatem grammaticis ac rhetoricis studiis exercuit. Nicoclem Lacedæmonium grammaticæ artis magistrum habuit; Ecebolium sophisticam rhetoricæ. Porro hic magister discipuli fortunam postea secutus, a Christianis ad Ethnicos desciiuit, tandemque Iuliano extincto, ad Christianos reuersus pro foribus templi prostratus clamitabat: *Calcate me salem insipidum.* Attamen Iuliano hæc schola non minus pietatis & religionis, quam ingenii ac literarum fuit. Itaque publicum in Ecclesia munus anagnostæ obiuit, populoque audiente sacros libros recitauit; neque quicquam sibi maius & vberius ad gloriam posse contingere quam pietatem arbitrabatur. Ergo his magistris atque artibus deditus breui tantam est apud omnes famam & auctoritatem consecutus, vt imperio administrando idoneus esse dicitaretur. Itaque ne qua inde nouarum rerum occasio existeret, ab hac prima schola Nicomediam discedit.

Florebat tum in ea vrbe Libanius rhetor magnæ eloquentiæ laude, sed superstitioni ethnicæ in primis addictus. Quocirca ab eius schola sese primo continebat, & domi tantum libros eius lectitabat; quod iis mirifice delectaretur. At postea Libanii paulatim consuetudine deprauatus, non tantum in scholam ventitare, sed etiam Græcorum more in Christianos declamare audebat; tanquam exercendi ingenii gratia vellet incredibilem aliquam thesin dicendo probabilem reddere. Hæc altera Iuliani schola fuit: schola, inquam, erroris & impietatis magistra. Recte siquidem ex Menandro ait Paulus:

Φθείρσιν ἢ θη χρήσθ' ὀμιλίαι κακῆ.  
Corrumpunt mores bonos congressus mali.

Sed tamen in hac schola tales ei meditationes eloquentiæ fuere. Philosophiam ibidem percepit. Erat eo tempore philosophia non Platonica omnino, aut Aristotelica, sed ex vtraque mista: cuius instituti & Porphyrius paulo ante, & tunc Iamblichus, principes ferebantur. Iamblichi summa erat auctoritas apud omnes. Itaque hunc philosophum in primis coluit, & amauit, magnisque honoribus ac præmiis affectit. Philosophiam igitur eiusmodi habuit. Hinc se τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων, *Platonis & Aristotelis decretorum studiosum* appellat in Epistolis. Quam ad rem multum

quoque eunuchi illius, de quo ante dixi, præceptoris opera usus est; sicut ipse in Misopogone declarat Antiochensibus, quum vitæ suæ culpam ironia quadam in eum reiicit: *Sape (ait) nomina hæc, ut opinor, audita sunt, tantopere videlicet exagitata & derisa: Plato, Socrates, Aristoteles, Theophrastus. Illis senex iste quum nimis stulte ac simpliciter obsecutus esset, postea me puerum & discendi cupiditate flagrantem nactus, persuasit, si illorum vestigiis vellem insistere, meliorem me, non quidem cæteris fortasse hominibus (neque enim cum illis mihi certamen esse) sed meipso omnino futurum. Ego vero (quid enim aliud fecissem?) seni obsecutus non possum iam quippiam mutare, quamuis maxime cupiam; meque incuso, quod omnibus vitiis liberum aditum non patefaciam. Sed in mentem veniunt ea, quæ apud Platonem Atheniensis hospes differit: Dignus est honore, qui nihil peccat; qui vero alios etiam ab iniuria deterret, plus quam duplici honore dignus est. Ille enim uni, hic pluribus par est, qui scelus aliorum indicat magistratibus; at qui socium præterea se adhibet in punienda iniuria, hic magnus vir in civitate & perfectus est, hic victor in virtutis certamine pronuntietur. Hæc me docebat senex ille. Atque hæc fuit adhuc Iuliani philosophia. Interea Nicomediam venit Maximus Ephesius philosophus, qui ob magicas artes atque imposturas postea est a Valentiano Imperatore capitis supplicio multatus. Hic Iuliani corruptor alter fuit, eumque docuit, ut ait Nazianzenus, impietatem ὄση τε περὶ ἀστρονομίαν, καὶ τὰς γενέσεις, καὶ Φαντασίαν προγνώσεως τερατέων, καὶ τὴν ἐπομένην τέτοις γοητικῆν, quæ & in astronomia, & natalitiis, & specie diuinationis ludificatur, horumque comite magica. Hunc autem philosophum quanti semper fecerit, epistolæ ad eum honorificis verbis conscriptæ declarant. Ex hac schola Athenas deinde commigravit, καὶ ἰσορίαν τῆς ἐλλάδος, καὶ τῶν ἐνεῖσε παυδευτηρίων, ad Græciam visendam, scholasque regionis illius cognoscendas, ait Gregorius; ubi eum ipsi cognitum fuisse supra docuimus. Ergo Iuliani doctrina talibus magistris atque artibus instituta est: ut hinc iam erroris altera causa facile appareat. Atque adhuc femina duntaxat videmus tum naturæ, tum doctrinæ: fructus deinceps in moribus videamus.*

Marcellinus lib. 14. generatim eos attingit, quum Galli fratris mores comparat. *Tantum (inquit) a temperatis moribus Iuliani differens fratris, quantum inter Vespasiani filios fuit Domitianum & Titum.* Hic Gallus Domitiano, Iulianus Tito confertur. Ac sane videtur ab omni moderatione ac modestia non abhoruisse, quum ex omnibus Imperatoribus Marcum philosophum inprimis amauerit, sibi que imitandum proposuerit: qui certe fructus non tam naturæ fuit, quam doctrinæ, quæ, ut ait Ovidius,

*Emollitque animos, nec sinit esse feros.*

Sed tamen hanc morum moderationem tranquillitatemque quidam æstus ambitionis perturbavit: ut hæc tertia causa ad duas illas superiores, de quibus antea in natura & educatione diximus, adiuncta, facile hominem a vero rectoque deductum in fraudem ac scelus præcipitauerit. Veruntamen iam mores ipsius in singulis virtutum partibus videamus. Ac primum fortitudo qualis fuit? Adulescens nondum tertium & vicesimum annum egressus Cæsar creatus est octavo Idus Nouembres, Arbetione & Lolliano Coss. quum quidem Barbari Gallias vastarent, & Imperator cum eis bellum gerere timore prohiberetur. *Constantium (ait Marcellinus lib. 15.) exagitabant assidui nuntii, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad interneccionem Barbaris vastant-*

vastantibus vniuersa: astuansque diu, qua vi propulsaret arumnas, ipse in Italia residens, vt cupiebat: (periculosum enim existimabat, se in partem contrudere longe dimotam) reperit tandem consilium rectum, & Iulianum patruelem fratrem, haud ita dudum ab Achaico tractu accitum, etiam tum palliatum, in societatem imperii asciscere cogitabat. Atque id postea perfecit, & Helenam sororem praeterea ei nuptum dedit. Iulianus interea non ignarus quantis periculis obiiceretur, non tam se ad honorem, quam ad mortem vocatum arbitratur. Itaque quo die purpura indutus regie more in aulam inuectus est, hunc ex Homero versiculum dicitur vsurpasse,

Ἐλλαβε πορφύρεσσι δάνασσι, καὶ μοῖρα κραταῖη.

*Cæpit purpurea mors, & Parca violenta.*

Murmurans etiam sæpe audiebatur, nihil se amplius assecutum, quam vt occupator interiret. Hinc illa tacita conquestio in Misopogone: se ad Gallos, Germanos, Hercyniamque siluam, vt tanquam venator cum feris bellaret, esse relegatum. Et alio loco: Videbatur, inquit, neuter nostrum velle: neque is qui hunc honorem, vel gratiam, vel quocunque alio nomine vultis appellare, libenter dabat; & qui accepit (dii sunt testes) vere & ex animo recusabat. Hæc ille de seipso loquitur. Et certe, ait Marcellinus, illud rumore tenuis vbique iactabatur, quod Iulianus non leuaturus incommoda Galliarum electus esset, sed vt posset per bella deleri sauisima, rudis etiam tum, vt estimabatur, ac ne sonitum quidem duraturus armorum. Veruntamen rudis iste adolescens, & in Academia vmbra, non in sole ac puluere militari educatus, tantis periculorum fluctibus obiectus, quid fecit? Si prouinciam sibi commissam tueri, atque iniuriam tantum propulsare, non hostem laceffere, voluisset, tamen rem magnam præstitisse merito iudicaretur. At lacesiuit; & qui aliis terrori esse consueuerat, ipsum sibi timere coegit. Nihil dico quanta celeritate Barbaros Gallia expulerit; qua virtute nobiles & antiquas vrbes, Augustodunum, Autosiodorum, Tricastas, Remos defenderit: nihil denique cæteras res ab eo in Gallia & Germania gestas commemoro: hoc tantum dico, quod omnes vno ore scriptores illius ætatis prædicant, septem totius Germaniæ potentissimos reges vno ingenti difficillimoque prælio ad Argentoratum ab eo deuictos, principemque eorum Chodonarium captum Romam ad Constantium missum esse, omninoque res Gallia accisas atque afflictas in integrum statum ab eo restitutas fuisse. Sed hæc laus etiam miserima ambitionis labe contaminata est, quum se Augustum saluari voluit: vnde bellum ciuile atrocissimum esset consecutum, nisi mors pene repentina Constantium ante sustulisset. Quo accepto nuntio Iulianus, primo Constantino-polin ad imperium constituendum, deinde Antiochiam ad bellum Persicum profectus est. Atque hic animaduertendum est, quod in historia narrat Socrates, Iulianum Pythagorea quadam μετεμψυχώσει persuasum se Alexandrum esse credidisse. Itaque similem fortasse gloriam e Persis deuictis sperabat: sed tamen res omnino aliter cecidit, vt post intelligetur. Quare videmus magnam prorsus in hoc imperatore virtutis huius laudem enituisse: ne quis putet, literarum sapientiæque studia bellicis laudibus officere, aut corporis viribus magis, quam animi prudentia, res magnas administrari.

Sed fuerit eiusmodi fortitudo, quid temperantia? Prorsus admiranda, tum domestica, tum externa: ac domestica quidem in victu, somno, & venere. De victu & somno Marcellinus lib. 16. Phasianum, ait, & vuluam, & sumen exigi vetuit & inferri, munificis militis vili & fortuito cibo contentus. Hinc contingebat, ut notes ad officia diuideret tripartita, quietis, & publica rei, & musarum: quod factit as-

se A

se Alexandrum legimus Magnum; sed multo hic fortius. Ille namque aenea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam: ut, quum nervorum rigorem sopor laxasset, infusus gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Iulianus vero absque instrumento, quoties voluit, euigilavit: & nocte dimidiata semper exsurgens, non e plumis, vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete & σισύρα, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat. Hoc idem de se prædicat Iulianus in Misopogone, quum se propterea inuisum Antiochenis esse conqueritur. Domestica autem, inquit, noctes insomnes in stragulo, & victus omnis expertus satietatis, mores acerbos efficiunt, & delicata urbi repugnantes. Nolite tamen putare vestra causa id a me fieri: grauis quidam & stultus error iam inde a puero me induxit, ut ventri bellum facerem. Neque enim eum permitto epulis expleri. Itaque rarissime omnium mihi contigit vomere: & memini id mihi accidisse, ex quo Cæsar sum factus, semel tantum, neque id cibi copia, sed casu. Ergo ad hunc modum ille de lua in victu somnoque temperantia pene gloriatur. Hinc porro secuta est temperantia in venere: qua de re Marcellin. lib. 25. Primum, inquit, ita inuiolata castitate enituit, ut post amissam coniugem, nihil unquam venereum attingeret. Vxorem autem amisit paulo post Augusti honorem susceptum, quum filiolum infantem ex eadem antea in Gallia amisisset. Mox pergens idem auctor: Quam labem, ait, in adulto robore iuuentutis ita caute vitauit, ut ne suspicione quidem tenuis libidinis vllius, vel secretioris vitæ ministris incusaretur, ut saepe contingit. Et lib. 24. quum prædam bello Persico captam commemorat: Ex virginibus, ait, qua speciosa sunt capta, ut in Perside, ubi fœminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre; Alexandrum imitatus & Africanum, qui hac declinabant, ne frangerentur cupiditate, qui se inuictos a laboribus ubique præstiterunt. Quia etiam tonsores & coquos eiecit, tanquam deliciarum atque intemperantiæ ministros. Marcellinus lib. 22. Euenerat, inquit, ut ad demendum Imperatoris capillum tonsor venire præceptus, introiret quidam ambitiose vestitus. Quo viso Iulianus obstupuit: Ego, inquit, non rationalem iussi, sed tonsorem acciri. Interrogatus tamen ille: quid haberet ex arte compendii? vicens diurnas respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, (quæ vulgo dicitant capita) & annum stipendium graue, absque fructuosis petitionibus multis. Vnde motus, omnes huiusmodi cum coquis similibusque aliis, eadem accipere bene consuetos, ut parum sibi necessarios, data quo velint eundi potestate, proiecit. Atque hæc temperantia fuit domestica. Sequitur externa in theatris & ludis: cuius item gloriatio quædam est vituperationis specie in Misopogone: Arceo, inquit, meipsum a theatris per summam stultitiam, neque in aulam admitto scenam, nisi anni principio, præ animi stupore, tanquam pauper agricola tributum aliquod pendens iniquo domino: at tum quoque, quum illuc introiui, similior sum detestanti eos ludos, quam spectanti. Idem paulo post: Attendite, magis est nouum & admirabile quod dicam. Semper odi Circenses, perinde ut forum qui obstricti sunt are alieno. Itaque raro ad eos venio, nempe in deorum feriis: neque ibi diem consumo, quod meus patruelis, auunculus, & germanus ex patre faciebant; sed spectato sexto fere-cursu, neque id magna cum voluptate, imo hercle cum molestia & fastidio, libens discedo. Atque hunc quidem solius doctrinæ fructum esse idem ait: Docuit me præceptor meus, quum ad magistros irem, terram non theatrum aspicere, plurisque mentum capitis mei aestimare. Sæpenumero mihi puero dicebat præceptor ille: Ne sinas te a tuorum equalium multitudine in theatra induci, neque vlla eius spectaculi cupiditate tenearis. Circenses requiris? apud Homerum eos elegantissime descriptos

Vulgo apud Marcellinum male legitur σισύρα, & sisurnam.

scriptos reperies, cape librum & lege. *Histriones audis saltatores? sine eos valere: fortius saltant iuvenes apud Phæacas. Habes illic citharædum Phœmionem, & cantorem Demodocum. Sunt etiam apud eundem multe stirpes, quæ maiore cum voluptate audiuntur, quam nostræ spectantur.*

*Sic quondam Deli sacras ad Apollinis aras,*

*Proceram viridi conspexi in gramine palmam.*

*Quid Calypsonis insula opaca arboribus? quid Circes antra? quid hortus Alcinoi? crede mihi, nihil videbis iucundius. Ergo temperantia hæc magna in Principe fuit, & ad doctrinæ diligentiam referenda. Interea tamen inanis quædam loquacitas, & indecora actio in eo notata est. Quum die quodam, ait Marcellinus, ei causas spectanti venisse nuntiatus esset ex Asia philosophus Maximus, exiit indecore: & qui esset, oblitus, effuso cursu a vestibulo longe progressus, exosculationem susceptumque reuerenter secum induxit, per ostentationem intempestiuam nimius captator inanis gloriæ visus. Hæc leuitas naturalis & insita ei fuit, ut antea patuit, neque doctrina vlla tolli potuit. Sed quoniam temperantiam perspeximus, prudentiam in omni doctrinæ parte videamus.*

Ingenium discendi cupidissimum arguit epistola ad Ecclitium quendam præfectum Ægypti, qua Georgii Episcopi Alexandrini libros efflagitat: *Quidam, inquit, equis, alii auitus, nonnulli feris delectantur. Ego vero inde usque a pueritia librorum cupiditati arsi. Iocrates ait, εὐν ἢς Φιλομαθῆς, ἔση πολυμαθῆς. Ergo hæc Φιλομαθία Iuliano πολυμαθειαν peperit. Quid igitur, humanitatis artes, Grammatica, Rhetorica, Logica, quales in eo fuere? Grammaticæ & Rhetoricæ artis magistro antea vidimus, quibus artibus Logica etiam continebatur: verum ex eius scripti clarius certiusque argumentum doctrinæ repetamus. Verisimile est in illo otio scholarum ac studiorum, antequam Cæsaris honorem contingeret, multa ab eo tripta esse, quæ temporis iniuria periire: ex quibus tantum nominantur orationes aliquot ad Iamblichum missæ, ut constat ex quadam ad illum epistola; at pistuam ad rempublicam accessit, diligentius etiam studia hæc tractauit atque excoluit. Ex his vigiliis Suidas commemorat τὰς καλεσµένους Καίσαρας, librum qui inscribitur Cæsares: περὶ τριῶν σχηµάτων, de tribus figuris: κρόνια, Saturnilia: περὶ τῶν πῶθεν τὰ κακὰ κατὰ τὰς ἀπαιδέυεις, unde mala orientur secundum indoctos: περὶ τὸν κύνα Ἡρακλείου, ad canem Heraclitum: πῶς κυνισέον, quomodo sit cynica vita instituenda. Quæ opera, quod sciam, omnia periire. Extant quædam orationes Venetiis, & symposium alicubi in Italia, item hymnus in Scem: neque enim poeticam neglexit, ut declarant duo epigrammata non inuenta, quæ seruatim numeris pene totidem verbis Latina fecimus. Ea sunt huiusmodi:*

*Ἰουλιανὸς βασιλέως εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς.*

*Τίς πῶθεν εἰς, Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον,*

*Οὐ σ' ἐπιγινώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.*

*Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε· σὺ δὲ τράγον. ἦ ῥά σε Κελλοῖ*

*Τῇ πενή βότρυων τεύξαν ἀπ' ἀσαχύων.*

*Τῶ γέ χερὶ καλέειν Δημήτριον, ἔ Διόνυσον,*

*Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμιον, ἔ Βρόμιον.*

*Ἰουλιανὸς βασιλέως εἰς τὸ ὄργανον.*

*Ἄλλην ὀρώ δονάκων Φύσιν. ἦ πρ ἀπ' ἄλλης*

*Χαιμεῖης τάχα μᾶλλον ἀνεβλάσησαν ἀρέρης.*

bbb

"Αργιοι

Ἄργιοι, ἔδ' ἀνέμοισιν ὑφ' ἡμετέροις δονέονται,  
 Ἄλλ' ὑπὸ ταυρεῖης παρθοῶν ἀπήλυγ' αἴτης  
 Νέρθεν εὐτρήτων καλάμων ὑπὸ ῥίζαν ὀδεύει.  
 Καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχ', ἔχων θοὰ δάκτυλα χειρὸς,  
 Ἰσαλαὶ ἀμφαφῶν κανόνας συμφράδμονας αὐλαῶν·  
 Οἱ δ' ἀπαλὸν σκιρῶντες ἀποθλίβουσιν αἰοιδήν.

*Juliani Imperatoris in vinum bordeaceum.*

*Quis Dionyse? aut unde es? Bacchum namque per ipsum,  
 Te ignoro: solum nosco Iouis puerum.  
 Bacchus nectar olet, tu hircum: te Gallia nempe  
 Vitis inops spicis extulit e gravidis,  
 Ergo te fas est Cerealem, non Dionyson  
 Dicere, spicigenamque est Bromon, haud Bromium.*

*Juliani Imperatoris in organum.*

*Quam cerno, alterius natura est fistula: nempe  
 Altera produxit fortasse banc anea tellus:  
 Horrendum stridet, nec nostris illa mouetur  
 Flatibus; at missus taurino e carcere ventus  
 Subtus agit laues calamos, perque ima vagatur.  
 Mox aliquis velox digitis, insignis est arte,  
 Adstat, concordēs calamis pulsaturque tabellas:  
 Ast ille subito exiliunt, est carmina miscent.*

Magni igitur doctrinæ testes hæcenus fuere; ad quos nunc dno accedunt, Μισοπῶγων, & Epistolæ: sed de illo dicetur postea, nam ad cæteras prudentiæ partes pergendum est. Quid ergo, in mathematicis, physicis, theologicisque rebus, quæ fuit eius prudentia? Astrologiam ab eo perceptam ante cognouimus: unde sequitur, Arithmeticam & Geometriam, artes scilicet natura priores, ei non incognitas fuisse: sed Astrologiam diuinationum sophismatis, ut Physicam magicis imposturis, corruptam peruersamque habuit. In quadam ad Orbasium epistola somnium suum narrat de gemina arbore, qua se Constantiumque significat: *Tale quiddam, inquit, hodie vidi: arborem proceram in magno quodam triclinio insitam putabam, quæ in terram se inflecteret; eique aliam parvam, tenram, & valde florentem ad radices agnatam. Angebat me autem vehementer metus de exigua illa arbore, ne una cum maiore auelleretur: & quum propius accessissen, cerno magnam arborem humi prostratam, parvam autem erectam quidem, sed terra suspensam. Quod quum viderem, æstuans, Heu (inquam) quanta arbor, & tamen periculum est, ne surculus quoque ei agnatus intereat. Hic quidam mihi ignotus omnino, Contemplare (ait) diligenter, & bono sis animo: radice enim hui manente, parua illa arbor manebit, firmitusque hærebit. Hic plane se Constatio successurum indicat. Eodem fere pertinent illa, quæ narrat Marcellinus Bro vicesimo primo: Quum apud Parisios, ait, Cesar Iulianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis, queis orbis erat compaginatus, in vacuum excussis, ansa remanserat sola: quam retinens valida manu stringebat. Terriisque ut omne diro presentibus cunctis, Nemo (inquit) vereatur: habeo firmiter quod tenebam. Item quum apud Viennam postea quiesceret sobrius, hora medie noctis*

noctis imago quaedam splendidior, hos ei versus heroos modo non vigilantem aperte dixit, eadem saepius replicando, quibus fretus nihil asperum sibi superesse existimabat:

Ζεὺς ὅταν ἐν πλάτῃ τέρμα μόλη κλυτῆ ὕδροχόοιο,  
 Παρθενικῆς δὲ Κρόνου μοίρη βάνη ἐπὶ πέμπτῃ  
 Εἰκοστῇ, βασιλεὺς Κωνσάντιου Ἀσίδου αἰῆς  
 Τέρμα Φίλῃ βιοτῆ συγερόν καὶ ἐπώδυνον ἔξει.  
 Iupiter ubi transferit latum terminum inchoyti aquarii,  
 Virginisque Saturnus partem venerit ad quintam &  
 Vicesimam, rex Constantius in Asia terra  
 Terminum chara vita tristem & lamentabilem habebit.

Ex hac magica vanitate in falsam, impiam, & superstitiosam Theologiam prolapsus est. Occulte, ait Marcellinus, Mercurio supplicabat: utque omnes nullo impediante ad sui fauorem illiceret, adhaerere cultui Christiano fingebat, a quo iam pridem occulte descuerat, arcanorum participibus paucis, aruspicina auguriisque intentus, & ceteris quae deorum semper fecere cultores. Atque haec quidem simulatio tantisper fuit, dum vixit Constantius. At eo mortuo plane religionem mutavit; & callide interim populi dissensionem fouebat, ut securius regnaret. Vbi vero (ait idem libro vicesimo secundo) abolitis quae verebatur, adesse sibi liberum tempus faciendi quae vellet aduertit, pectoris patefecit arcana: & plane absolutis decretis aperiri templa, arisque hostias admoueri, & reparari Deorum statuit cultum. Utque dispositorum roboraret effectum, disidentes Christianorum antistites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante suae religioni seruiret intrepidus. Quod agebat ideo obstinate, ut dissensiones augente licentia, non timeret unanimentem postea plebem. Haec igitur religio satis hominis Theologiam declarat. In sacris vero faciendis inepte fuit superstitiosus, atque ipsis etiam ethnicis ridiculus. Superstitiosus (ait Marcellinus libro vicesimo quinto) magis quam sacrorum legitimus obseruator, innumeras sine parsimonia pecudes mactans; ut aestimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iam defuturos: Marci illius similis Caesaris, in quem id accepimus dictum, οἱ λευκοὶ βόες Μάρκου τῷ Καίσαρι ἀνὸς σὺ νικήσης, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα, id est, candidi boues Marco Caesari: Si tu viceris, nos perimus. Quanto vero Christianae religionis odio flagrauerit, libris aduersus eam conscriptis & editis declarauit. Theologia igitur eiusmodi fuit. Fertur tamen de animi praestantia egregie sensisse. Hinc illa sane nobilis eius vox: Turpe esse sapienti, quum babeat animum, captare laudes ex corpore.

Atque haec de prudentia. Quid iustitia, qualis fuit? Constantio summum imperium eripuit: summa haec fuit iniquitas. Christianos vero licet non gladio & aperta vi, ut caeteri ante eum tyranni, attamen iniquissimis & acerbissimis legibus miserrime vexabat. Extant in epistolis duo in eos edicta: alterum, quo scholis interdicit; alterum, quo bona fortunasque eis eripit: improbissime etiam cauillatus, se id agere, ἵνα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν ἑρανῶν εὐοδώτερον πορευθῶσι, quo facilius in regnum caelorum veniant. Prioris edicti meminit Marcellinus libro vicesimo secundo: Illud autem, inquit, inclemens, obruendum, perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos, & grammaticos, ritus Christiani cultores. Quin etiam militiae muneribus & magistratu gerendo eisdem interdixit, quod diceret Euangelium eis gladii potestatem adimere, ut tradidit

Socrates in Historia ecclesiastica. In quo peruerse & malitiose Euangelii auctoritatem usurpabat, quæ non publicam vindictam prohibet, sed priuatam. Christianos etiam de iniuriis conquerentes reiiciebat illudens, *ὕμέτερον τὸ κακοπαθεῖν, vestrum est iniurias perferre.* Iudæos odio Christianorum beneficiis auxit, & ad templum restaurandum hortatus est: qua de re extat edictum in Epistolis. At id Iudæi contra Dei decretum frustra magnoque suo incommodo tentarunt. Testis est Marcellinus libro vicesimo tertio: *Ambitiosum quondam, inquit, apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciua certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, egre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Abypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curauerat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Abypius, iuuaretque provincia rector, metuenti globi flammaram, prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatus repellente, cessauit inceptum.* Atque hoc tantum in Christianos odium ne in causis quidem disceptandis deponebat: quid enim quisque litigantium coleret, interrogabat. In hac tamen Principis iniquitate studium illud æquitatis tuendæ apparuit, quod quædam in iure ciuili reformauerit. *Iura* (inquit Marcellinus libro vicesimo secundo) *correxerit in melius, ambagibus circumcisis, indicantia liquide quid iuberent fieri vel vetarent.* Oderat etiam delatores. Itaque cum locupletem municipem quidam apud Iulianum læsæ maiestatis argueret, conuersus ad Comitem largitionum: *Iube, inquit, huic dari purpurea pedum tegmina ad aduersarium perferenda.* Delphidio etiam oratori vehementer quendam accusanti, & præ argumentorum inopia tandem exclamanti: *Ecquis, florentissime Caesar, nocens esse poterit vsquam, si negare suffecerit?* respondit Iulianus: *Ecquis, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Hanc animi æquitatem in Principe laudo: quæ sequuntur, speciem habent clementiæ. Quum bellum pararet Constantio, militesque omnes, vno excepto Nebridio, consentirent, ob eamque causam periculum Nebridio crearetur, paludamento eum texit Imperator: quumque ille abiectus & supplex dextram poposcisset: *Ecquid, ait, præcipuum amicis seruabitur, si tu manum tetigeris meam?* Lucilliano vero præfecto, in causâ pene consimili, quum purpuræ adorandæ facta esset potestas, isque iam nonnihil ex metu recreatus diceret: *Incaute, o Imperator, & temere cum paucis, alienis partibus te commisisti;* Iulianus subridens respondit: *Hæc verba prudentia serua Constantio: maiestatis enim insignis non ut consiliario tibi, sed ut desinas pauere porrexisti.*

Ergo hæc animi moderatio æquitasque hæcenus laudetur. At quod sequitur, nequaquam sapiente & politico principe dignum videatur. Quum enim Constantinopoli decedens Antiochiam venisset ad bellum cum Persis gerendum, & in ea vrbe hyemare statueret, nulla probabili ratione adductus, sed inani tantum gloriæ cupiditate, quo popularis princeps videretur, legitimum annonæ pretium diminuit: quæ res famem & inopiam ciuitati, Iuliano vero summum odium peperit. Atque ut erat populus Antiochensis natiua quadam ingenii libertate factus & dicax, varie Iulianum cauillabatur. Marcellinus libro 22. *Ridebatur* (inquit) *ut cercops, homo brevis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiaque incedens, tanquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit: idemque Victimarius pro Sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: & culpabatur hinc opportune, quum ostentationis gratia uehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis*

*letabatur.* His Marcellini verbis duo præcipue in Iuliano notantur; persona & religio: tertium ex Misopogone addatur, de numi caractere. Is erat taurus in ara supinus: quo significabat Iulianus veterem morem sacrificiorum a se reuocatum; at Antiochenſes interpretabantur, mundum a Iuliano eſſe ſubuerſum. Ergo ad eiſmodi conuitia vlcifcendum editus eſt Misopogon, cuius ſumma breuiter iam exponenda eſt. In eo tria fere crimina obiiciuntur Antiochenſibus: primum eſt intemperantia, quod ludis & theatris dediti ſint; alterum impietas, quod, neglecta patrum ſuorum religione, Chriſtum pro Ioue & Apolline colant; tertium & poſtremum eſt iniquitas magistratum, qui locupletum auaritiam, ex qua fames in vrbe orta ſit, tolerant ac diſſimulent. Atque in hac oratione quum re ipſa Antiochenſes vituperentur, tamen contrarium ſimulatur: perpetua ſiquidem ironia *σωνπαλιω̄ς* adhibetur, qua Iulianus videtur non Antiochenſes, ſed ſeipſum accuſare, quod eorum mores imitari nequeat. Inducitur enim tanquam dialogiſmo populus Antiochenſis diſſerens in Iuliani barbam ( vnde *Μισοπώγων* appellatur ) & omnino in totam ipſius perſonam ac vitam, quod aliena ſit ab omni voluptate, quod nimis religioſa, quod denique in iudiciis nimis ſeuera: quæ omnia Iulianus ironice ſua eſſe crimina fatetur, eorumque veniam deprecatur, culpam in præceptorem conferens, a quo ſit iam inde a puero edoctus temperanter, religioſe, juſteque viuere: deinde ſe adoleſcentiam inter Gallos egiſſe, homines aſperos, & bellicoſos, & deliciarum ignaros. Huius itaque vituperationis ſumma eſt in hoc ſyllogiſmo:

*Qui aliorum moribus repugnat, merito ab iis accuſatur:*

*Iulianus Antiochenſium moribus repugnat, quia voluptates contemnit, quia impietatem & iniuſtitiam coercet, qua illi arte tenent ac tuentur:*

*Quare merito ab iis accuſatur.*

Tandem hæc ironica vituperatio concluditur ſeria vituperatione huiusmodi:

*Qui beneficia dat ingratis, ſtultus eſt:*

*Iulianus dedit beneficia ingratis, quum Antiochenſes nondum cognitos laudauit, auxit, aluit:*

*Stultus igitur eſt.*

Hæc ſumma eſt vniuerſæ orationis; in qua pleraque ſunt falſa & aliena. Nam quod impietas Antiochenſibus obiecta eſt, ideo ſit, quod illi ſpreta maiorum ſuorum ſuperſtitione Chriſtianam religionem amplexati eſſent, quam ſcleratiſſime Iulianus *ἀθεότης* ſolebat appellare. Hæc igitur calumnia eſt. Quod de deliciis ait, eſt aliquid eſt, tamen multa iam Chriſtiana religio correxerat. De vrbe autem fame & inopia fruſtra magistratus accuſantur, quum Iulianus ipſe eius auctor fuerit. Quod etiam Marcellinus, licet multus in Iuliani laudibus, confirmat lib. 22. *Nulla ( inquit ) probabili ratione, ſuſceptæ popularitatis amore, vilitati ſtudebat venalium rerum, quæ nonnunquam ſecus quam conuenit ordinata, inopiam gignere ſolet & famem: & Antiochenſi ordine id tunc fieri, quum ille iuberet, non poſſe, aperte monſtrante, nuſquam a propoſito declinabat, Galli ſimilis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps ſauiens, vt obtrectatores & contumaces, volumen, composuit inuectiuum, quod Antiochenſem, vel Misopogonem appellauit, probra ciuitatis inſenſa mente dinumerans, addensque veritati complura.* Hæc Marcellinus; vnde intelligimus, rhetoricos colores in ea oratione ad veritatem obſcurandam adhibitos eſſe. Gregorius Nazianzenus in extremo libro ſecundo contra Iulia-

num orationis huius meminit his verbis : ἔτ' ὁ λόγος σοι τῶν Πορφυρίων  
 ψευδμάτων καὶ ληρημάτων, οἷς ὑμεῖς ὡς θείας Φωναῖς ἀγάλλεσθε, ἢ τῶ  
 σὲ Μισοπῶγων, εἴτ' ἐν Ἀντιοχείᾳ· ἀμφοτέρω γὰρ ἐπιγράφετε τῷ λόγῳ  
 ἃ τί Χριστιανοῖς ἀτιμότερον; ὃν τότε μὲν ἡ πορφυρία μέγαν ἐποίησε, καὶ οἱ πάν-  
 τα τὰ σά θαυμάζοντες νόλακες. νῦν δὲ πῶγων ἐστὶ περιφθειρόμενος, καὶ περι-  
 συρόμενος, καὶ τοῖς συμπεπονηκόσιν ὁμῶς γελάμενος· ἐν ᾧ σὺ τῷ μὲν ἀπερίτῳ  
 τῶ σώματι, καὶ τῷ μηδὲ πώποτε τυχεῖν ἀπειλήσας ἐξ ἀπλησίας, μέγα Φυσᾶς,  
 ὡς δὴ τι θαυμάσιον λέγων. ὅτι δὲ Χριστιανὸς ἤλασας ἔτω πικρῶς, καὶ τοσούτου  
 ἔθνος καὶ ἔτως ἱερὸν παρανόλωσας, ἐκὼν παρατρέχεις. καὶ τοῖ γε ἐνός μὲν ἀν-  
 δρὸς ἀπειλήσαντος, ἢ ἐρυγὰς Φυσικᾶς ἀφέντος, τί παρὰ τῆτο τῷ κοινῷ βλάβος;  
 τοσούτω δὲ διωγμῷ κινήθεις, καὶ τοσαύτης κλονομηθείσης συγχύσε-  
 ως, πῶς ἐκ ἀνάγκῃ πᾶσα τὰ Ῥωμαίων ἔχειν κακῶς; id est, Hæc oratio  
 tibi est a Porphyrii mendaciis ac nugis, in quibus vos tanquam diuinis vocibus exul-  
 tatis, vel a tuo Misopogone, siue Antiochensi: (utrumque enim inscribis ei orationi)  
 quo quid Christianis ignominiosus? quem tunc quidem purpura magnum faciebat, ἔ  
 omnia admirantes assentatores: at nunc barba est undique corrupta, vultusque, ἔ  
 suis auctoribus simul derisa: in qua tu ἔ frugalitate corporis, ἔ ex eo quod nunquam  
 incidere in cruditatem ex saturitate, magnopere tumes, quasi mirabile aliquid di-  
 cas. At quod Christianos tam acerbè expuleris, ἔ tantam tamque sacram gentem  
 pro nihilo habueris, lubens præteris. Quamquam quod vnus aliquis in cruditatem  
 incidit, aut ructus naturales emisit, quid inde capit respublica detrimenti? at  
 tanta persecutione excitata, tantaque in rempublicam perturbatione induceta, nonne  
 omnino necesse est res Romanas in misero statu versari? Hactenus igitur de Misopogone.  
 At Iulianus exacta hyeme cœptam expeditionem persequens, Antiochia  
 decessit: vbi quum ad Ctesiphontem urbem Persarum præcipuam ventum esset,  
 incerto vulnere ictus periit anno ætatis altero & tricesimo. Cæsar fuit sexennium,  
 Augustus vero sesquiannum & vnum mensem. Porro de eius obitu duo apud  
 Suidam oracula leguntur, quæ tamen ego vnum esse puto, sed ὑστερον πρότερον  
 collocatum. Sic igitur apud illum lego: ἔστι δὲ καὶ ὁ χρησμός ὁ δοθείς αὐτῷ ὅτε  
 περὶ Κτησιφῶντα διήγε.

Περὶ τῆς τελευτῆς Ἰουλιανῶ χρησμός.

Γηγενέων πόλιν Φύλον ἐνήρατο μητίετα Ζεὺς,  
 Ἐχθισον μακάρεσσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.  
 Ῥωμαίων βασιλεὺς Ἰουλιανὸς θεοειδής,  
 Μαρνάμενος Περσῶν πόλιος καὶ τείχεα μακρὰ  
 Ἀλγεμάχων διέπερσε πυρὶ, κρατερῶ τε σιδήρῳ,  
 Νωλεμέως δ' ἐδάμασσε πόλεις τε, καὶ ἔθνεα πολλά.  
 Ἀλλὰ καὶ ἐσπερίων ἀνδρῶν Ἀλαμανικὸν ἔδασ  
 Ὑσμίναις πυκναιῖσιν ἐλῶν, ἀλάπαξεν ἀρχεας.  
 Ἀλλ' ὅποταν σκήπτροισι τεοῖς Περσῆιον αἶμα  
 Ἀχρι Σελευκείης κλονέων ξιφείεσσι δαμάσσης,  
 Δὴ τότε σε πρὸς Ὀλυμπον ἄγει πυριλαμπές ὄχημα.  
 Ἀμφὶ θυελλείησι κυκώμενον ἐν τροφάλιγγι,  
 Ῥίφαντα βροτέων ἐθέων πολύτλητον ἀνίην.  
 Ἦξεις δ' αἰθερὶς Φάεος παρῶιον αὐλήν,  
 Ἐνθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήιον ἐς δέμας ἦλθες.

Id est, Est vero etiam oraculum ipsi redditum, quum ad Ctesiphontem esset:

De morte Iuliani oraculum.

Terrigenum quondam genus deleuit prudens Iupiter,  
 Inimicissimum beatis coelestes domos incolentibus.  
 Romanorum rex Iulianus diuinus  
 Pugnans, Persarum urbes & moenia longa  
 Bellicosorum vastauit igne duroque ferro,  
 Fortiterque domuit urbes & gentes multas.  
 Quin & occidentalium virorum Alamannicum solum  
 Pugnis crebris capiens, vastauit agros.  
 At postquam sceptris tuis Persicum sanguinem  
 Vsque ad Seleuciam quatiens armis domueris,  
 Tunc te in coelum aget lucidum vehiculum,  
 Undique procellis mistum in turbinibus,  
 Abiecta mortalium morum laboriosa cura.  
 Venies autem ad aetherae lucis paternam mansionem,  
 Vnde demigrans humanum in corpus venisti.

Quamobrem haec vitam Iuliani Imperatoris descriptam & expositam habemus. Magnas omnino laudes eius principis in omni genere virtutis perpeximus: summum tamen illud *λαψασίας* scelus e tribus causis ortum, naturae leuitate; doctrinae in magicis praecipue artibus peruersitate; denique imperii cupiditate; turpissimam ei labem, & miserrimum vitae exitum attulit. Quare si quis hoc exemplum diligenter & accurate animaduernerit, omnes ille quidem virtutes amabit & colet; sed pietatem omnium virtutum *κρηπίδα* & fundamentum in primis exquiret, & cognitam arte tenebit, neque se vnquam ab ea diuelli patietur.

ΕΙΣ ΙΟΥΛΙΑΝΟΝ ΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ.

Ῥωμαίων βασιλεύς τε μέγας, κρατερὸς τ' αἰχμητής,  
 Πολλὸν ἀριστέυσας πράγμασιν ἠδὲ λόγοις.  
 Ἰμερτὴν Χριστὸ σοφίην καὶ ἰσά μνηθεὶς,  
 ᾠλετ' ἀφισάμενος, καὶ ἀβία δῖωξε πάλιν.  
 Οὐκ ἔλαθεῖ, φασιν εὖγε, διαμπάρεις ὅσις ἀλλήρον  
 Εἶχε νόον, πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη.

Π. ΜΑΡΤΙΝΕΙΟΣ.



IVLIANI